



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum VI. Quia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## SUMMARIUM.

1. Patronus Laicus variare potest.
2. Ecclesiam, qui donat monasterio v. g. quid donare censetur.

**N**otandum primum. Patronus Laicus variare potest, id est, postquam unum Clericum praesentavit, Episcopo alterum praesentare, quamdiu prior ad beneficium ab Episcopo institutus non est *c. cum autem 24. de jure patronatus*. Ratio hic insinuat, quia Clericus praesentatus ante Episcopi receptionem & institutionem non habet jus in re: agere tamen potest, ut instituat, si idoneus est *c. cum Bertoldus 18. de re judicata juncta Glossa*, praeterquam, si etiam alter idoneus a Laico praesentatus sit, quo in casu conceditur optio Episcopo. Porro, quod hic consideratur institutio realis, seu possessionis traditio, id est ad pleniorum effectum; alioquin verò constat per verbalem institutionem, seu collationem jus in re acquiri in rebus istis spiritualibus, ut docuit *c. si tibi 17. de preben. in 6.* & idem taliter institutum praefendum esse prius praesentato & non instituto.

**2** Notandum secundum. Si Laicus v. g. regia potestate praeditus, Clerico vel alicui monasterio, aut collegio sacro Ecclesiam concedat, aut donet (intelligit donationem improprietalem, seu per modum incorporationis) & instrumentum super ea re conficiatur, non interveniente Episcopi consensu, irritum est, quod agitur. Ita sumitur ex verbis *cap. 5. de cetero*. & idem traditur in *c. illud 8. hoc in 3.* & videri potest hic *Innoc.*

Quando verò cum Glossa hic *V. si consensus* quari solet, si Patronus Laicus loco Religioso talibus verbis Ecclesiam donet, an saltem jus, quod habet, videlicet jus Patronatus, donare censendus sit. Respondetur, id pendere ex intentione donantis, quae in dubio praesumenda videtur, quod donare voluerit jus sibi competens *argum. c. pastoralis 7. de donationibus. & L. si domus 73. S. si fundus ff. de Legatis*. Sin autem in-

tentio fuerit, Ecclesiam conferendi in titulum vel proprietatem, nihil efficitur, & tamen quidem jus Patronatus transfertur. Hinc rei ratio non est, quam Glossa hic dat verbi *si consensus, & in cir. c. illud. V. licet Religioso*, quod Episcopi consensus necessarius sit; hoc enim non esse verum constat ex *unico hoc tit. in 6. & cir. c. illud. ubi dicitur*, quod Laicus liberam jura Patronatus loco Religioso concedendi facultatem habet, tunc autem liberè quispian agere dicitur, si nullius ad agendum consensu, aut licentiâ indigeat, uti Abbas *ibidem movet n. 4.* sed ratio dari debet, quia Patronus jus Patronatus, quod potuit donare, non voluit Ecclesiam autem, quam donare voluit, non valuit, & idem nihil validè agere, jura *cap. cum super 23. de officio delegati L. si in 15. ff. de acquirenda hered. L. nec ignominiam 10. cod. de donationibus*.

## CAPITULUM VI.

Quia.

## PARAPHRASIS.

Quandoquidem Clerici aliqui Advocatias Ecclesiarum emunt, aut quocumque modo possunt, sibi acquirunt, ut patres ipsorum filij, aut nepotes ad Ecclesias vacantes praesententur: id severè prohibuit esse Alexand. III. mandat, eosque, qui Advocatias ita quaesierint, appellatias postposita, iis privandos.

## SUMMARIUM.

1. Jus Patronatus interdum appellatur Advocatia.
2. Qui pro re temporali jus Patronatus solitarii sibi comparat, Simoniacus est.
3. Potest Patronus Pater filium suum ad Ecclesiam praesentare.

**N**otandum primum. Jus Patronatus interdum appellatur Advocatia, eo quod ad Ecclesiam Patronum pertinet, ut est in *delegatione*.

defensor, seu Advocatus existat, cùm ejusdem sit dare esse, & in esse conservare, ac tueri. Ita *Innoc. hic* intelligit: communiter tamen jus advocatiæ accipi solet, ut quid distinctum à jure Patronatûs.

2. Notandum secundum. Si quis Jus Patronatûs per se, ac solitariè emat, aut data re temporali aliter commutando sibi comparat, Simoniacus est *c. præterea 9. de transact. c. de jure 16. hoc tit.* & ideò in penam vendens, & emens Jus Patronatûs illud amittere debent, ut hic dicitur, & quidem ipso jure, sicuti expressum est in *Trident. sess. 25. c. 9. §. nec dictum de reformatione.* quomobrem Ecclesia seu beneficium liberæ collationis efficitur, prout *Innoc. & And. Barb.* & alij hic tradunt. Additur in *Trident.* eos, qui Jus Patronatûs contra Sanctiones Canonicas vendunt, excommunicationis, vel interdicti sententiâ feriendos esse. Vide, quæ docui *l. 4. tra. ult. c. ult. n. 60.*

3. Notandum tertium. Pater Ecclesiæ Patronus filium suum, aut nepotem præsentare non prohibetur, si idoneus sit. Ita *Glossa recepta hic V. filij & dicam inc. consulis 5. hoc tit.* ex quo colligit *Abbas hic n. 6.* quòd Episcopus filio suo, aut nepoti legitimè nato, si idoneus sit, beneficium conferre non prohibetur.

CAPITULUM VII.

Ex litteris.

PARAPHRASIS:

Monasterium Vintoniense villam, in qua Ecclesia sita erat, militi concessit, ad firmam, id est, locavit. Vacante deinde Ecclesia miles Episcopo præsentavit G. Clericum, & postea Abbatissâ monasterij alium præsentavit, quem Episcopus recipere noluit: quare ipsa apud Archiepiscopum Cantuariensem quæstâ fuit, is ratus præsentationem factam à milite irritam esse, Episcopo in virtute obedientiæ mandavit, ut Clericum præsen-

tatum ab Abbatissa recipiat, & in possessionem mittat. Denique hæc controversia ad Alexandrum III delata est: is eam iudicibus delegans, mandat, si ipsi constiterit, villam militi, non excepto jure Patronatûs, concessam fuisse ad firmam, vel antequam de jure Patronatûs inter Abbatissam & militem lis mota fuit, G. Clericum ab Episcopo ad militis præsentationem institutum fuisse, ei, si aliàs idoneus fuerit, Ecclesiam adjudicent, ita, ut si accidat Abbatissam in jure proprietatis obtinere adversus militem, eidem Abbatissæ tanquam Patronæ institutus circa temporalia rationem administrationis reddendo respondeat.

SUMMARIUM.

1. Jus Patronatûs cum universitate honorum pro re temporali, concomitanter, & per accidens in alium potest transire.
2. Præsentatus à Patrono, bonâ fide possidens Jus Patronatûs, titulum & Jus in beneficio acquirit, si in eo instruat.
3. Non est tamen admittenda præsentatio, quæ sit lite pendente de jure præsentandi.
4. Patrono Ecclesiastico Jus competit exigendi rationes à beneficiato super redditibus Ecclesiæ.

Notandum primum. Licet Jus Patronatûs per commutationem cum re temporali transferri non possit per se, ut dixi in *c. quia 6. hoc tit.* potest tamen transferri per accidens, concomitanter vendendo, vel alio simili modo transferendo universitatem honorum v. g. hæreditatem, territorium, civitatem, castrum, villam &c. aut quemlibet fundum, cui jura annexa sunt, quæ attinentia dici solent. Ita *hic & in c. cum seculum 13. hoc tit.* & explicavi *l. 4. tra. 2. c. 13. q. 9.* ubi etiam docui, quòd contractus, per quem Jus Patronatûs accessoriè transir, debeat esse alienationis,